

Constituto Paschatis die, facile decernuntur Festa mobilia, quæ ad motum Paschatis moventur, et sunt : Septuagesima, Dies Cinerum et initium jejunii Quadragesimæ, dein post Pascha, Ascensio, Pentecostes, Corpus Christi, quibus addere juvat SS. Cor Jesu ; item determinatur numerus Dominicarum post Pentecosten ante Adventum.

NOTA. Sequens Tabula indicat terminos extremos Festorum et Officiorum quæ præcedunt vel sequuntur Pascha et ad motum Paschatis moventur :

Occurrente Paschate	22 Martii.....	25 Aprilis,
occurret		
Septuagesima.....	18 Januarii.....	21 Februarii.
Dies Cinerum.....	4 Februarii...	10 Martii.
Ascensio.....	30 Aprilis.....	3 Junii.
Pentecostes.....	10 Maji.....	13 Junii.
SS. Corpus Christi....	21 Maji.....	24 Junii.
SS. Cor Jesu.....	20 Maji.....	2 Julii.
Numerus Dominicarum.		
post Pentecosten erit	28.....	23.

III. Tertio delineatur Tabella temporaria Festorum mobilium, in qua primo intuitu reperiuntur indicata quæcumque pro Kalendario mobili alicujus ex assignatis annis necessaria sunt ; nempe Festa mobilia inde a Septuagesima usque ad SS. Corpus Christi, necnon numerus Dominicarum Pentecosten inter et Adventum, et dies in qua occurrit prima Dominica Adventus.

NOTA. Novam rationem Pascha facillime inveniendi, ejusque per annum dependentias, exponunt Ephemerides Liturgicæ (XV, 1901, pag. 150). Ibidem etiam exponitur super Kalendario studium, in quo concluditur ad perfectionem Kalendarii Gregoriani, quæ everteret totum ordinem tam civilem quam ecclesiasticum hactenus servatum (XIII, 1899, pag. 332.). Sufficiat hæc ibi indicata haberi.

## ARTICULUS II

### DE KALENDARIO

Q. 96. Quid intelligitur per Kalendarium ?

R. 1º Etymologice Kalendarium a Kalendis dictum est ; Kalendæ autem (a verbo *καλεῖν*, vocare, calare)

dicitur primus dies cujusque mensis, quo apud Ethnicos Pontifex populum calabat, id est convocabat, ad pronuntiandum, peracto sacrificio, quot numero dies, quinquene an septem, a primo ad Nonas superessent. Postea vero, conscriptis Fastis et Kalendario constituto, cessatum est a calatione, mansit tamen vocabulum Kalendarum et Kalendarii.

2º Kalendarium vocatur in Breviario, inter præludia, elenchus seu tabella duodecim mensium anni, a Januario ad Decembrem, et dierum uniuscujusque mensis, a primo ad ultimum ; apposito catalogo Festorum Domini et Sanctorum, quæ per annum determinata die in universali Ecclesia celebrantur.

3º Kalendarium generatim sumitur pro coordinatione Officiorum et Festorum, tum immobilium, tum mobilium in anno. — Multis diebus in anno, uti videre est in Tabellis duodecim mensium anni, assignantur Festa Domini, B. Mariæ V., ac Sanctorum, et Officia his diebus celebranda, ideo dicta fixa seu immobilia. Cum vero ex mobilitate Festi Paschatis, Cyclus Paschatis et Cyclus Pentecostes, inde a Dominica Septuagesimæ, imo a nonnullis ex præcedentibus Dominicis post Epiphaniam, usque ad Adventum, quotannis alium occupent locum, unde hæc Festa et Officia dicuntur mobilia ; cumque insuper quotannis Littera Dominicalis mutetur : fit ut Festa et Officia mobilia sæpe cadant in dies quibus Festa vel Officia fixa assignantur : unde necessaria est quotannis aliqua horum omnium coordinatio.

Ex dictis patet quotannis necessario dari diversum Officiorum ordinem pro maxima parte anni, tum ex mobilitate Festi Paschatis, tum ex variatione Litteræ Dominicalis. Raro datur idem omnino ordo ; recurrit equidem singulis circiter sex vel septem annis eadem Littera Dominicalis, sed remanet tunc regulariter varietas pro Paschate ; si autem utrumque ex his anni elementis idem est, idem erit ordo ; ex. gr., anno 1898 eadem est Littera Dominicalis B, et Pascha celebratur eadem 10 die Aprilis, sicut anno 1887 ; idem fuit anno 1898 ordo Officiorum qui fuit anno 1887. Ratio autem habenda fuit novitatum quæ interea ab anno 1887 supervenerint tum pro novis Festis celebrandis, tum pro ipsis Rubricis Officii.

4º Kalendarium etiam dicitur ipse Ordo divini Off.

qui quotannis de mandato Episcopi vel Superioris editur, ad indicandum clero Officia in decursu anni persolvenda, attentis Computo Ecclesiastico et Festis fixis. Hic Ordo vocatur etiam Directorium, Cartabella.

Q. 97. *Unde habetur varietas in Calendariis seu Ordinibus diversarum Diocesium?*

R. Percurrenti varios Ordines, seu Directoria, seu Kalendaria Diocesium unius ejusdemque anni, comperta mox habetur per non paucos dies varietas Festorum et Officiorum in diversis Diocesium.

Kalendarium Sanctorum descriptum inter præludia Breviarii Romani universale est, et indicat Festa quæ a toto Catholico orbe Romanum Ritum servante celebrari debent. Sed in unaquaque Diocesi, retentis Officiis Romani Kalendarii quæ omnibus præceptive communia sunt, celebrantur etiam quotannis, cum approbatione Summi Pontificis aut S. Rituum Congregationis, Festa particularia nonnullorum Sanctorum, qui in Kalendario Ecclesiæ universalis non sunt adscripti, sed qui vel in Diocesi aut regione vixerunt, vel ex speciali titulo grata ob beneficia memoria ibi recoluntur; et ita unaquæque Diocesis habet sua Festa propria Diocesana, vel Festa quæ ipsi et aliquibus aliis locis concessa fuerunt, et quæ regulariter non celebrantur in vicinis Diocesium aut regionibus. In Archidiocesi Mechliniensi Kalendarium Diocesanum numerat hujusmodi Festa circiter septuaginta, quorum quædam in quibusdam vicinis Diocesium, quædam in una aliave vicina, quædam in nulla ex vicinis celebrantur.

Possunt itaque dari dies in quibus, in diversis Belgii Diocesium diversa Festa celebrantur, aut diversa Officia dicuntur: exempli gratia, die 11 Februarii celebratur in Archidiocesi Mechliniensi Festum S. Vedasti, Episcopi et Confessoris; in Diocesi Brugensi Festum S. Joannis Chrysostomi, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris (dies fixa ex 27 Januarii, qua ibi celebratur Festum S. Joannis, Episcopi Teruanensis); in Diocesi Gandavensi Festum S. Pharaïldis, Virginis; in Diocesi Leodiensi Festum S. Popponis, Abbatis; in Diocesi Namurcensi Festum Apparitionis B. Mariæ Virg.; in Diocesi Tornacensi Festum S. Ignatii, Episcopi et Martyris (dies fixa ex 1 Februarii, qua ibi celebratur Festum S. Euberti, Episcopi et Confessoris).

Q. 98. *An in una eademque Diocesi non potest dari varietas festorum? Explica.*

R. Affirmative; nam I. Regulares plerumque habent suum proprium, sicut et Dioceses, Kalendarium, in quo recensentur Festa Sanctorum, quæ in Diocesi in qua Regulares resident plerumque nec a Clero sæculari, nec ab aliis Regularibus celebrantur; sic, ex. gr., die 11 Februarii, de qua in Quæstione præcedenti, Fratres Minores celebrant Festum S. Joannæ Valesiæ, Patres Societatis Jesu Festum S. Joannis de Britto, Confessoris. Nec ipsis Regularibus licet celebrare Festa Clero Diocesano aut aliis Regularibus tamquam propria præscripta. Tenentur tamen ad celebrationem quorundam Festorum Cleri sæcularis sub certis conditionibus: ita, ex. gr., debent celebrare Festa Patroni loci, Titularis Ecclesiæ Cathedralis, sed sine Octava.

Sed insuper II. a Clero sæculari in multis locis quotannis quædam mutanda veniunt in Kalendario, seu Directorio ab Episcopo pro tota Diocesi vulgato. Etenim pleraque loca, scilicet civitates, oppida, pagi habent suum specialem et principalem Patronum, singulæ Ecclesiæ habent suum Titulum, et Titulare Festum; hujusmodi Festa, Patroni et Titularis, speciali modo, ut postea latius exponetur in Tertia parte Tractatus, nempe ritu duplici 1 classis cum Octava sunt celebranda; proinde, nisi sint de iis Festis quæ in tota Diocesi eodem ritu et cum Octava celebrantur, mutationes in Directorio Diocesano pro debito eorum cultu, a Sacerdotibus quorum interest, necessario sunt faciendæ et observandæ.

In publicatione cui nomen ANNUAIRE DE L'ARCHEVÊCHÉ DE MALINES, reperiuntur circiter 50 loca vel Ecclesiæ in quibus Patronus vel Titularis est S. Martinus (11 Novembris); 25 in quibus S. Lambertus (17 Septembris); 23 in quibus S. Nicolaus (6 Decembris); 20 in quibus S. Catharina (25 Novembris), etc. In his locis et Ecclesiis, horum Sanctorum Festa, eorumque Festorum Octavæ necessarias reddunt plurimas mutationes in Directorio Diocesano; et ita, ex. gr., ratione Octavarum S. Martini et S. Catharinæ varietas datur pro Clericis 70 circiter locorum et Ecclesiarum circa finem mensis Novembris.

Idem dicendum esset de celebratione Anniversarii

Dedicationis cujusque Ecclesiæ, quod etiam recolendum quotannis est ritu duplici 1 classis cum Octava; sed cum concessum nostræ Diœcesis fuerit, Anniversarium omnium Ecclesiarum Diœcesis una eademque die celebrare, describitur ordo Festum hoc celebrandi in Directorio.

Ad hæc debite observanda adjuvabunt quæ in Tertia Tractatus parte exponuntur.

Q. 99. *Expone breviter præcipuas regulas pro usu Kalendarii.*

R. Huic Quæstioni responsum dare quo ad omnes diversos casus fieret satis, ultra finem et limites hujus Tractatus duceret; ideo illæ tantum regulæ exponuntur, quas alumnos Seminarii pro praxi in sua vita sacerdotali nosse necessarium est, aut utile.

1° Clerici sæculares Diœcesis subditi debent recitare Officium juxta Kalendarium Diœcesanum legitime approbatum. — Kalendarium proprium Archidiœcesis Mechliniensis approbatum fuit Indulto S. Rituum Congregationis 20 Julii 1838, et ab Emo Dño Card. Engelberto Sterckx, Archiepiscopo, die 13 Novembris 1838 pro tota Diœcesi præscriptum. Indultum, Kalendarium approbatum, ejusque publicatio legi possunt in Tomo secundo Collectionis Epistolarum pastoralium Diœcesis Mechliniensis, pag. 223 et sqq. — Quotannis de mandato Archiepiscopi evulgatur Directorium ad rite legendas Horas canonicas Missasque celebrandas, in quo suis locis indicantur Officia et Festa celebranda juxta Kalendarium Ecclesiæ universalis, et interponuntur Festa Kalendarii proprii Archidiœcesis Mechliniensis. Hoc Directorium sequi eique se conformare tenentur omnes Clerici sæculares Archidiœcesis subditi, et in Diœcesi degentes.

Regulares, qui multi ac diversi in Archidiœcesi Mechliniensi habitant, aut habent suum Kalendarium particulare Ordinis; aut juxta sua Statuta utuntur Kalendario Romano sub conditionibus positis; his non licet Kalendarium Diœcesanum sequi, et ad proprium tenentur; attamen debent celebrare Festa quædam, nempe Patroni loci in quo degunt, et S. Rumoldi, utpote Patroni Diœcesis, Titularis Ecclesiæ Metropolitanæ, ac Patroni Civitatis Episcopalis, sed absque Octava. Alii Regulares pro-

prium Kalendarium non habentes, uti debent Kalendario Diœcesis, additis Officiis particulariter sibi concessis.

2° Kalendarium particulare alicujus loci, civitatis nempe, oppidi, vel pagi, pro celebratione Festi Patroni loci tenentur servare omnes Clerici qui locum inhabitant, quæcumque sit eorum in hoc loco occupatio. — Clerici sæculares hoc Festum celebrare debent cum Octava, Regulares vero qui proprium Kalendarium habent sine Octava.

NOTA. Rectores singularum Ecclesiarum possunt in hunc finem in Kalendario Diœcesano inserere variationes pro respectivis Ecclesiis, ex tacita saltem venia Ordinarii. (S. Rituum Congregatio, Decret. 11 Decembris 1896, n. 3936, ad 2.) Idem valet pro casu sequenti.

3° Kalendarium particulare alicujus Ecclesiæ, pro celebratione Festi Titularis Ecclesiæ tenentur servare tantum Clerici qui huic Ecclesiæ sunt adscripti. — Adscripti Ecclesiæ dicuntur ii qui a legitima auctoritate, scilicet in Diœcesi Mechliniensi ab Archiepiscopo, deputati sunt aut admissi ad munera quædam in illa Ecclesia regulariter peragenda, quique non possunt propria voluntate talem Ecclesiam deserere ut aliam adeant; tales sunt parochi, vicarii, coadjutores, cappellani, etc. Si vero tantum in Parochia quadam habitant, sed Ecclesiæ parochiali non sunt adscripti, etiamsi quotidie in Ecclesia munia quædam peragerent, ex. gr., Missam celebrare, prædicare, confessiones excipere, etc., non servare debent pro Officio divino Kalendarium Ecclesiæ hujusmodi ratione celebrationis Festi Titularis.

Exemplum: Professores in Seminariis, Collegiis, Institutis, etc., nostræ Diœcesis, quando in istis non habentur Sacella, aut Oratoria quæ celebrationem Festi Titularis importent, non tenentur ad dicendum Officium de Festis Titularibus; et nequidem tenentur sequi pro Horis Canonicis Kalendarium Ecclesiarum in quibus forsitan Missam quotidie legunt, aut alia munera peragunt; aut si domus in Parochia sita est. Sed ratione habitationis loci tenentur se conformare pro recitatione Officii Kalendario loci, ad celebrandum Festum Patroni loci, et quotannis debitas mutationes in Kalendario Diœcesano perficere et observare, si Patronus de iis non est qui in Kalendario Diœcesano ritu duplici 1 classis cum Octava adnotantur.

4° Regulares quidam in nostra Diœcesi, ex diversis Canonis Ordinis Præmonstratensis, nonnullis Ecclesiis parochialibus tamquam parochi, aut vicarii, ab Archiepiscopo præpositi sunt, aut adscripti. Abbatiales Ecclesias si excipias, ex istis Ecclesiis parochialibus nullæ hodie pertinent ad Ordinem, sed omnes sunt sæculares sub omnimoda jurisdictione Archiepiscopi: quibusdam ex eis, quando vacant, modo sæcularis præponitur, modo regularis, aliis consueto quidem regularis, aliæ habent parochum sæcularem, vicarium regularem.

Regulares in Officio persolvendo et Sacro peragendo sequuntur proprium sui Ordinis Kalendarium; observant tamen quædam in Diœcesano Kalendario præscripta, ex. gr., diebus statutis parochi Missam pro populo celebrant; similiter publica Officia, uti Vesperas, Missas solemnes, peragunt juxta Kalendarium Diœcesanum.

Super qualitate Kalendarii adhibendi a Regularibus qui Ecclesiis sæcularibus adscripti sunt, S. Rituum Congregatio sequentia edidit Decreta:

1. Ad dubium: « Ordines Religiosi, vulgo Congregationes nuncupati, qui remunerationem a Gubernio civili accipiunt ut Diœcesanis Ecclesiis inserviant, debentne sese conformare Calendario Diœcesano in Officio persolvendo Sacroque peragendo? » S. Congregatio declaravit: « Si religiosi gaudeant proprio Calendario, Negative; secus, Affirmative. » (Decret. 23 Junii 1893, S. *Christophori de Havana*, n. 3806.)

2. Ad dubium: « An liceat Regularibus, si quando ipsis precario committeretur una cum cura animarum administratio alicujus Ecclesiæ Sæcularium, Sacras Functiones juxta ordinem Kalendarii propriæ Religiosæ Congregationis peragere, relicto Calendario Diœcesano, cui populus jam assuetus fuerit? » S. Congregatio rescripsit: « Negative. » (Decret. 4. Februarii 1898, *Neoporten. et Meneven.*, n. 3979, ad 2.)

3. Ad dubium: « In Ecclesiis parochialibus, quibus Missionarii Oblati deserviunt per unum ex suis, possunt ne dicti Missionarii publicis in Officiis suum sequi Kalendarium rite approbatum? » S. Congregatio

rescripsit: « Negative. » (Decret. 7 Aprilis 1876, *Missionariorum Oblatorum Immaculatæ Conceptionis B. M. Virginis*, n. 3397, antiq. 5661, ad 1.)

4. Ad dubia: « In Ecclesiis alicui Religiosæ Familiæ concreditæ, Sacerdotes exteri in illis celebrantes tenentur ne sequi Kalendarium ejusdem Familiæ proprium, si habeatur? » S. Congregatio rescripsit: « Affirmative. » — « Num idem sit dicendum de Ecclesiis, quæ non Religiosæ Familiæ, sed tantum alicui personæ privatæ, etsi ad eandem Familiam pertinenti, commissæ sunt? » S. Congregatio rescripsit: « Negative. » (Decret. 15 Decembris 1899, *Urbis*, n. 4051, ad 2 et 3.) Hoc Decretum spectat quidem Quæstionem de Missa in Ecclesia aliena, de qua agitur in Tractatu de Rubricis Missalis Romani; attamen ad præsentem nostram Quæstionem referri etiam potest.

NOTA. Non abs re erit animadvertere, sequens Decretum, hucusque semper ab auctoribus citatum, e nova Collectione Decretorum fuisse expunctum. Ad dubium: « Regulares utpote ejecti a suis Cœnobiis in tota Hispania, et hanc ob causam tamquam Parochi, vel Vicarii variis Ecclesiis præfecti, pro Officio recitando, Missaque celebranda an possint, vel debeant recitare Officium, et Missam celebrare juxta Kalendarium Diœcesis, in qua Ecclesiis deserviunt, vel juxta Regulare Kalendarium Ordinis, ad quem per professionem religiosam pertinent? » S. Congregatio declaraverat: « Teneri in casu ad Officium Ordinis, sed in diebus festis Missam pro populo celebrandam ut in Kalendario Diœcesis. » (Decret. 23 Maji 1846, *Tuden.*, n. antiq. 5050, ad 5. Decretum in nova Collectione refertur sub n. 2915, pro aliis dubiis, sed n. 5 expunctus fuit.)

5° Clerici qui in alia Diœcesi domicilium figunt, tenentur sequi Kalendarium Diœcesis ad quam divertunt. — Si extra Diœcesim versantur cum animo ad propriam Diœcesim redeundi, a) post longum tempus, melius sese conformabunt Kalendario Diœcesis in qua per illud tempus morantur; b) post breve tempus, proprium debent retinere Kalendarium.

6° Qui studii causa extra Diœcesim versantur, ex. gr., Clerici nostræ Diœcesis qui Romæ sua studia theologica perficiunt, sequuntur Kalendarium Romanum toto tempore suorum studiorum. Qui ex diversis Diœcesibus Lovanium ad Universitatem Catholicam

accedunt, generatim Kalendarium propriæ suæ Diœcesis retinent.

NOTA. Ad rem est sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « Quando quis, itineris vel studii vel aliis de causis, extra Patriam sive Diœcesim versetur, debet ne recitare Officium sui Capituli, Ecclesiæ et Beneficii, vel etiam simpliciter Diœcesis ; an vero Officium illius loci in quo reperitur ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Beneficarii tenentur semper ad Officium propriæ Ecclesiæ ; simplices vero Sacerdotes conformari possunt cum Officio loci ubi morantur. » (Decret. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 46, antiq. 4669, ad 50.)

7° Professores nostrorum Seminariorum, Collegiorum, Institutorum, et alumni Seminarii, tempore feriarum, vacantibus studiis, debent retinere suum Kalendarium ; nempe Professores Kalendarium loci in quo per annum tamquam Professores morantur, et alumni Seminarii Kalendarium proprium Civitatis Mechliniensis ; idque nulla habita ratione, pro Officiis recitandis, locorum in quibus per ferias degunt, si ibi forsitan celebrantur Festa Patroni aut Titularis, sive alia diversa Festa. Sed si tempore feriarum occurreret Festum Patroni loci in quo per annum habitant, etiamsi ibi per ferias non adessent, tenentur ad Officium et Octavam sui Patroni.

8° Sacerdotes qui conveniunt ad exercitia spiritualia sub directione Patrum Societatis Jesu tradita, in quibus Horæ canonicæ insimul, id est, in communi persolvuntur, dicere possunt, vi Indulti diei 7 Julii 1864, Officium juxta Kalendarium loci in quo exercitia spiritualia obeunt, nulla habita ratione Officii particularis, ratione Patroni loci vel Titularis Ecclesiæ, sub lege tamen et conditione ut Horæ canonicæ insimul, id est, in commune persolvantur. (Cfr. Nouvelle Revue théologique, III, 1871, pag. 314.)

Ideo, si quis Sacerdos loci in quo, ex. gr., S. Lambertus (17 Septembris) est Patronus, in Seminario Mechliniensi exercitia spiritualia peragit (quemadmodum quotannis per menses Augusti et Septembris fit), Officium in communi insimul cum confratribus persolvat, nulla habita ratione circumstantiæ Patronatus S. Lamberti. Ideo etiam in Seminario Mechliniensi, tempore exercitiorum, occurrente Festo semiduplici, inter Suf-

fragia dicitur ab omnibus Horas canonicas insimul persolventibus Suffragium in Seminario communiter dictum, omisso Suffragio Titularis vel Patroni proprii.

NOTA. Quod si Clerus exercitia spiritualia peragat in Domo ipsa Societatis Jesu, sub directione Patrum inibi habitantium, ad dubium : « Utrum Clerus... sequi valeat Kalendarium Diœceseos, vel potius uti possit tantum Kalendario Domus Religiosæ, scilicet ipsius Societatis Jesu ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Negative, ad primam partem ; Affirmative, ad secundam. » (Decret. 21 Maji 1897, n. 3955.) In Indice Decretorum proponitur Decretum ita intelligendum, quod Clerus « uti potest » Kalendario Societatis Jesu. — Generatim apud nos in casu Officium recitatur, non in communi, sed privatim.

9° Unusquisque tenetur adhærere Kalendario suo debite approbato, etiamsi forte in puncto quodam controverso quibusdam probabilior videretur sententia Kalendario opposita. Etenim ad dubium : « Sacerdos, qui probabilius judicat errare Kalendarium, tenetur ne eidem Kalendario stare : an proprio inhærere iudicio quoad Officium, Missam et colorem paramentorum ? » S. Rituum Congregatio rescribere rata est : « Affirmative, ad primam partem ; Negative, ad secundam. » (Decret. 13 Junii 1899, n. 4031, ad 5.)

Sed si certo constet mendum aliquod in Kalendario ex inadvertentia irrepsisse, in re quæ aperte repugnat Rubricis Missalis et Breviarii, corrigetur.

Et quidem in Kalendariis particularibus, immutationes, ex. gr., ratione celebrationis Patroni vel Tituli factæ, etiam ab Ordinario probatæ, si forte repertæ fuerint erroneæ, corrigendæ sunt. (Cfr. Index Decretorum, ad verbum *Kalendarium*, ubi ita faciendum esse deducitur ex Decreto particulari 12 Julii 1889, n. 3714, ad 2.)

### ARTICULUS III

#### DE RUBRICIS GENERALIBUS BREVIARII

Q. 100. *Quænam notatu digna sunt de Rubricis Generalibus Breviarii ?*

R. I. Si exquiratur quis reapse fuerit harum Rubricarum auctor, haud facile foret id determinare. Quas habemus inter Præludia breviarii hausit S. Pius V ex Directorio Divini Officii, quod composuit, anno 1540,

Ludovicus Ciconiolanus, Franciscalis Observantiæ, qui sub Paulo III floruit, hujusque Pontificis approbationem meruit.

S. Pius V in undecim Titulos Rubricas Generales distribuit. Clemens VIII postea, ac dein Urbanus VIII, in Breviarii recognitione, Planas Rubricas reformarunt et adauxerunt in 37 Titulos divisas; istæ fuerunt retentæ usque ad annum 1882, quo Leo XIII notabiliter eas immutavit. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, I, 1887, pag. 86.)

Per Decretum Urbis et Orbis, 7 Decembris 1897, S. Rituum Congregatio, ut inter latas recentiorum Decretorum leges Rubricarumque præscriptiones maxima exstaret conformitas, Rubricas generales a Commissione Liturgica revisas, examinatas, et ad Decretorum normam concinnatas approbavit; quam sententiam SS. Dominus Leo Papa XIII, die 11 Decembris 1897, ratam habuit, et confirmavit, præcepitque ut superscriptæ variationes in novis editionibus Breviarii inserantur.

II. **Generales** dicuntur Rubricæ istius Præludii, quatenus statuunt leges generales diversis Officiis communes, ut distinguantur a Rubricis **particularibus**, quæ in ipso Breviario disseminatæ, quid variis anni ecclesiastici temporibus, aut in quibusdam Festis observari, aut adimi vel adjici debeat in peculiaribus Officiis, exponunt.

III. Dividi possunt istæ Generales Rubricæ in tres partes: aliæ spectant ad totum integrum Officium, modumque istud ordinandi, et de eis agitur in duodecim primis Titulis; — aliæ continent regulas proprias majorum partium, hoc est singularum Horarum Officii, et de eis dicitur a Titulo XIII ad XVIII inclusive; — aliæ denique versantur circa majorum partium partes ex quibus ipsæmet Horæ componuntur, et de eis agitur a Titulo XIX ad ultimum.

## PARS TERTIA

### QUÆSTIONES IN RUBRICIS GENERALES BREVIARII ROMANI

Quæ in hac tertia Tractatus Parte proponuntur Quæstiones in Rubricas Generales Breviarii, in tres Sectiones sunt distributæ, quarum I Sectio agit de distinctione Officiorum, II de Occurrentia et Concurrentia, III tandem de quibusdam Officii partibus minoribus.

#### SECTIO I

### De Officii divini distinctione — De Festis — Dominicis — Feriis — Vigiliis — Octavis — Officiis votivis

#### § 1. De Officii divini distinctione

Q. 101. *Quotuplex distinguitur Officium divinum?*

R. 1° Ratione **objecti**, seu **Mysterii** aut **Festi**, de quo fit, Officium **quintuplex** distinguitur. Etenim unaquæque dies anni, sive **Dominica**, sive **Feria**, habet in Breviario correspondens sibi Officium, quod vocatur de **Tempore**; sæpe tamen harum **Dominicarum** et **Ferarum** omittitur vel totaliter vel pro parte Officium, ob **occurentia Festa**, in quibus Ecclesia memoriam agit sive **Mysteriorum** nostræ **Redemptionis**, sive **B. Mariæ Virginis**, sive **reliquorum Sanctorum**; sed ex his Festis quædam solemniora habent **Octavam**, hoc est, per octo dies continuos celebrantur, et aliquando etiam **Vigilia** præveniuntur. Hinc nascitur **quintuplex** Officii **discrimen**: est enim Officium vel de **Dominica**, vel de **Feria**, vel de **Festo**, vel de **Vigilia**, vel de **Octava**.

2° Ratione **ritus**, quo persolvitur, Officium **triforme** distinguitur, juxta Rubricam Breviarii præliminarem: « Officium **quotidie** fit aut **Duplex**, aut **Semiduplex**, aut **Simplex**. »

NOTA. Quare sub respectu ritus Officia ita denominentur, rationes diversæ a diversis traduntur, e quibus sequens seligitur: Priori Ecclesiæ ævo Festa Domini ac Sanctorum Martyrum